



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Resolutiones Pastorales De Præceptis, Vitiis Capitalibus, Et De Sacramentis

Marchantius, Jacobus

Coloniæ Agrippinæ, 1655

V. De peccatis reservatis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41699**

erat se rationabilem causam habere,  
nec tenetur in particulari explicare,  
quia fortè tangit Pastorem ipsum, vel  
quia conjuncta est cum peccato, ut non  
possit explicari sine illo.

Nec desunt Doctores dicentes suf-  
ficere, quod licentia sit petita, licet nõ  
obtentã, ut alteri approbato & idoneo  
validè confiteatur pœnitens.

## CAPVT V.

*De peccatis reservatis.*

**Q**UAERO. *An sint aliqui casus re-  
servati Pontifici? Resp. nullos  
esse, nisi quibus adjuncta est excom-  
municatio, vel censura reservata. Ta-  
les sunt excommunicationes, quæ in  
Bulla Cœna exprimentur Extra illam  
autem Bullam multæ ab Auctoribus  
enumerantur, sed tantum tres aut  
quatuor usui Confessariis his in patri-  
bus esse solent. Prima de percussori-  
bus Clericorum, Cap. Si quis suadente.  
De Simoniacis realibus vel confi-  
dentialibus Extrav. Cùm detestabile.  
Pius V. Intolerabilis 3 de com nitten-  
tibus duellum, vel ad illud favorem*



dantibus, *Clemens 8. Illius vices. 4. de*  
 ingredientibus Monasteria Monialium,  
 vel Monachorum. *Greg. 13. constitu-*  
*tione, vni gratia 36.* de qua in praxi  
 consulenda sunt instituta particularia  
 cuiusque Religionis, & quamam clau-  
 sura ibi seruetur.

2. *QUAERO. Quanam possint excu-*  
*sare ab his excommunicationis reserva-*  
*tis?* Resp. 1. non incurri, nisi ob pecca-  
 tum mortale, adjuncta contumacia, id  
 est, inobedientia contra Ecclesiam.  
 Resp. 2. excusare ab illis ignorantiam  
 probabilem, scilicet, quod talis actio  
 cui adjuncta est censura esset peccatum  
 grave, vel quod foret prohibita ab Ec-  
 clesia sub tali censura. Hinc infero,  
 cum passim multae Decretales excom-  
 municationes continentes, ignorae sint  
 plerosque eas non incurrere, licet pec-  
 cata, quibus excommunicatio anne-  
 ctitur, committant; quia nec easte-  
 nentur scire, cum Iurisperiti aut  
 Theologi essent non obligentur, nec a-  
 liunde de excommunicationibus illis  
 audierint.

Quo-



Quoniam verò excommunicatio duellantes concernens, ignota esse nequit. maxime in nostra *Dioecesi Leodiensi*. ubi singuli Pastores jussi sunt *Clem.* Bullam publicare in Ecclesia, eamque explicare: & quia nihilominus frequentes difficultates ob eam occurrunt, pauca hic pro Confessariis subjiciemus, Bullam vero *Clementis*, 8. inuenient in tract. nostro super *praecepto Decalogi*.

3. *QUAERO* igitur. *Quanam persona illam excommunicationem reservatam incurrant?* Resp. 1. ultra ipsos duellantes, etiam incurrere in eam locorum Dominos, Magistratus, & alios officarios, permittentes, vel non prohibentes illud quoad in ipsis est, vel post admissum concedentes veniam, & impunitatem. 2. dictantes & manifesta componentes, sive suo, sive nomine alieno, scribentes, mittentes, deferentes, divulgantes, affigentes, exemplantes, imprimentes typis, subscribentes, intimantes, vel etiam verbo denunciantes, seu attestantes,

*Tertio*



*Tertiò*, consilium, operam, vel favorem præstantes ad hæc scribenda, dictanda, deferenda, divulganda, vel quoque modo sese immiscentes; etiamsi pugna, nec accessus ad eam, nec provocatio expressa secuta fuerit, nec manifesta prodierint in publicum, si per eos non steterit quominus publicatio vel denunciatio fieret: *Quartò*, consilium vel favorem ad duellum, equos, arma, comæatus præbentes, aut comitantes, aut ex industria spectatores.

4. *QUAERO. Quid sit proprie duellum*  
 Resp. esse pugnam duorum ex condito: sive singulare certamen ab utraque parte ex conventionione spontanea susceptum. Hinc non vocatur duellum, pugna illa quæ concitatur ex subita ira, vel saltem non ex mutua conventionione, interposito aliquo tempore, inter contentionem & pugnam, sed vocatur rixa. Neq; etiam comprehenditur sub duello pugna illa, quæ fiet ob necessariam sui defensionem, Debet quoq; fieri pugna instrumētis periculū occisionis, vel mutilationis invol-



volventibus: quapropter concertatio, quæ fit inter juvenes pugnis, vel inter mulieres capillorum evulsione, non solet vocari duellum. Licet verò propriissimè duellum (sive Græcè Monomachia) sit pugna unius cum altero si-ve singulare certamen; si tamen sint plures, puta duo vel tres hinc inde etiã duellũ censetur & excommunicatio incurritur expressa in Bulla *Clementis 8.* Ex his resolvuntur casus sequentes.

1. Si quis occurrenti sibi, & provocanti ad pugnam, eductoquæ gladio mortem minitanti, alter acceptet & pugnet statim, & sine interposito tempore, non incurrit excommunicationem: tum quia non censetur duellum, si-ve certamen, ex condicto, cum mora non intercesserit inter pugnam & conventionem, tum quia cum alter sit in actu aggressionis, censetur potius defensio, quam duellum. Idem dicendum, si quis cogatur per alterum metu mortis certo imminentis, ad suscipiendum cum aliquo alio duellum: quia tunc etiã illa pugna censetur quæ-

quæ-



quædam defensio necessaria propriæ vitæ.

2. Si duo exortâ in domo rixâ, ex conventionem in viam vel forum vicinû exeant, è vestigio prosequentes inchoant tam rixam, & quasi continuatâ actione egressi illam perficientes, censetur rixa & quæstio potius exorta, quàm duellum sive certamen ex condicto; & censetur magis ex impetu quodam perdurante suscepta, quàm hinc inde perfectè deliberata: quod videtur requiri, ut in hac materia odiosa & pœnali dicatur ex condicto sive ex conventionem.

Hinc communi usu non videntur vocare duellum, nisi pugnam, quæ (ut gallicè dicimus) *à froid. sang.* sive quæ initur deliberatè frigido jam & temperato sanguine, sive cholera.

3. Est priori non absimilis, si duo invicem contendant, quorum alter qui non habet ensen, in domum propriam properat, & dicit *expecta me, nec arma ut tu habuero*, sicque redit & pugnet, dubium esse potest, an



sit duellum, quandoquidem videatur  
 esse conventio, dicere ipso *expecta me,*  
 vel altero dicente: *Vade & fer gladium*  
*tuum; nolote aggredi proditorie & in-*  
*armatum.* Videtur quoque tempus in-  
 tervenire inter primam contentionem  
 & pugnam jam conventam, per recessum  
 alterius, & reditum. Ita quidam  
 sentiunt, sed hoc mihi satis durum vi-  
 detur; sic enim omnes, ferè rixæ & pu-  
 gnæ rusticorum nostrorum (quæ fre-  
 quentes sunt inter juvenes dissolutos)  
 duella censebuntur excommunicatio-  
 nis obnoxia. Solent enim hi, modò inter  
 choreas, modò inter pocula, modò in-  
 ter lusus chartarum, à verbis injuriosis  
 incipere; vel pugnis sese mutuò per-  
 cutere, sive poculis & vitris: ac dein-  
 de quia impediuntur, provocant se  
 mutuò, ut uterque ferat gladium; ex  
 quoque primo impetu prorunt ad pu-  
 gnam, ad gladios currunt; & statim  
 procedunt. Licet igitur quædam hic con-  
 tentio, & provocatio videatur in-  
 tervenire, ac etiam tempus aliquod  
 inter conventionem & pugnam inter-  
 cede-



cedere: moraliter tamen re considerata, videtur prioris rixæ prosecutio, & continuata quædam actio præcedentis quæstionis exortæ, cuius impetus perseverat. Sicque videtur posse excusari à ratione duelli illius rigorosi, in quod fulminatur gravissima illa excommunicationis pœna. Favere posset Gregor. 13. in Bulla sua, quam extendit Clemens 8. Licet enim ipse pœnas extendat adversus omnes non solum qui publice & solenniter duella ineunt, provocatoriis litteris præcedentibus. Patrini, sive focii, & spectatoribus vocatis, sed etiam adversus eos, qui privatim duella ineunt, tamen addit: *Si ex condito, statuto tempore & in loco conveniente, monomachiam commiserint.* Hic autem non videtur statui tempus, aut particulariter locus, sed cum ferreat adhuc inchoatæ rixæ furor, nonnulla instrumenta quæruntur ad persequendam rixam: & ideo in ipso eodem tempore, ubi sibi occurrunt, etiam locum fere solent arripere quemlibet hic & nunc opportunum.



4. Aliud judicandum est, si inter tales conventum sit, quod intra tot horas comparere debeant, tali loco, &c. Sicq; convenientes pugnarint, aut locum accesserint, licet nullæ aliæ solennitates, aut cæremoniæ adhibitæ sint. Non enim est solum prohibitum sub excommunicatione solemne duellum & publicum: sed & privatum, sine patris, sine sociis, sine litteris provocatoriis, ut jam dixi ex Greg. 13.

5. Si quis casu in loco ubi duellum committitur, præsens sit, illudque spectet, non censetur excommunicatus: quia requirit Bulla, ut sit spectator ex industria, sive illic procedens & comitans ad spectandum. Gregorius 13. dicit *ex composiro spectatores excommunicari, sive ex condicto comitantes ad spectandum.*

6. Novissimè rogatus est à Nobili ad duellum abeunte juvenis quidā, quatenus ferret litteras ad amicum; sed in illis simul charta provocatoria insertebatur, mittenda ulterius ad alterum, qui provocabatur. Juvenis non



ignorans de illa chartula, quærit excusationem, dicens se vereri excommunicationem. Nobilis hunc timorē excutit, addens nihil ea de re timendum, quandoquidem ipse provocato non sit insinuatūrus, sed solum delaturus litteras ad amicum. Viderit autem illē amicus, aut alius qui insinuatūrus est, an id debeat timere; hoc autē ipsum litteras amicas deferentem non concernere. Sic nihil sibi dubiæ conscientiæ ulterius formās literas defert: imò in ea urbe; ad quam profectus erat, occasionem Confessarii nactus, apud Patrem Societatis de peccatis suis ordinariis confitetur; hujus rei autem nullam mutationem facit, quia nullam sibi ea de re conscientiæ reprehensionem habet. Postea audiens multos involvi excommunicationibus ob negotium duellantium, consulit me. *Quæritur ergo, an talis excommunicatus sit, & à quo possit absolvi?* Resp. i. ex vi Bullæ Clementis talem excommunicari, quia ibi excommunicantur non solum litteras deferentes provocato

rias  
cer  
defe  
se ta  
lice  
non  
jam  
hæ  
max  
prov  
bonā  
pro n  
tavit  
cere:  
nec i  
candu  
sum r  
catur  
tiam,  
debet  
timen  
men p  
absol  
haber  
pæ. Q  
qui h



rias, sed & quomodolibet sese immiscentes, aut operam & favorem ad illas deferendas exhibentes. Resp. 2. potuisset tamen excusari ob ignorantiam, quia licet excommunicatio duellantium non possit ignorari, post publicationem jam factam; particularitates tamen hæ, de litteras aliquas deferentibus, maximè si non deferantur ad eum qui provocatur, possunt ignorari; & iste bonâ fide, aliquid solum lucri captans, pro nuda delatione litterarum, non putavit hoc esse, sese de duello intermiscere: cujus bonam fidem probat, quod nec in confessione hoc putarit explicandum, nec conscientiam de eo remorsum tunc habuerit. Resp. 3. licet ille dicatur non satis excusatus ob ignorantiam, aut ob bonam fidem, quia non debebat credere nobili dicenti sibi non timendum ab excommunicatione: tamen potuit Confessarius secundus eum absolvere, puta Pastor suus, licet non haberet auctoritatem à reservatis Papæ. Qui jam per priorem Confessarium, qui habebat auctoritatem, censetur



sublata reservatio & excommunicatio quia absolvit ab excommunicatione, quantum potuit, & hic indigebat, antequam absolveret à peccatis.

CAP. VI De casibus Episcopo reservatis.

**P**articulariter tractabo hic de Casibus Episcopo nostro reservatis quia ferè complectuntur eos qui in Diœcesibus aliis reservari solent. De his copiosè & eruditè librum edidit *R. D. Io. Chapeauville Leodii* quondam *Generalis Vicarius*, ego brevitati consulens, quæ magis necessaria ad eorum intellectum videntur, paucis edisseram: & aliqua addam ab illis quas tradit dissentientia, non carpens ejus doctrinam: sed quia doctrinæ & opinionum nunc receptæ Theologorum videntur magis consona.

I. Qui Episcopo reservatus numeratur, est hæresis, sed solet reservari Pontifici in Bulla Cænæ in prima excommunicatione. Ideoque sine speciali Pontificis indulto, non licet absolvere ab hæresi: sicut nec eos qui hæreticorum libros legunt. Hæc por-